



**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Libri Qvarti Argumentum, & Synopsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)



## LIBRI QVARTI

### Argumentum, & Synopsis.

**A**RGMEN<sup>T</sup>V huic libro caput Exodi 12.  
& pars 13. ritus, scilicet, ac sacræ cæremoniæ Pa-  
schalis Agni: spoliata Ægyptus mutuatione li-  
beralissima: effossa Iosephi ossa, vt asportentur, vti ipse  
fratribus mandarat, vaticinatus eorum profectionem,  
Genef. 50. 24. aliorum enim Patriarcharum probabile  
est, filios ac nepotes, simul atque morerentur, extulisse  
in auita sepulcra Chanantidos. Sua ossa voluit Iosephus  
moriens in Ægypto condi, vt pignus speratæ liberatio-  
nis. Inde apparatus sacri; & solenni ritu, quem tradide-  
rat Moysi Deus, immolatio luna mensis decimaquarta ad  
vesperam. In quo typo elucet sacrificium vtrunque Agni  
immaculati Christi I E S V; cruentum, & incruentum  
eucharisticum, & sanguinis liberatoris pretium. Succe-  
dit statim primogenitorum Ægypti memoranda cædes  
ex adiunctis Sap. 18. Cūm medium silentium tenerent omnia.  
patrata per Angelos horrendis somniorum spectris, &  
prodigia in diis Ægyptiis disturbantis. Victus tandem  
Pharao, & mortis, & seditionis popularis metu Orato-  
res ad Moysem mittit, qui statim exire compellant He-  
bræos paratos omnes ad exitum in Ramesse, quæ prima  
exeunti populo mansio. Aperto vallo, signo dato, po-  
pulus emittitur in viam, quam exorta statim nubes, &  
columna ignea ductu suo designant. Causæ & natura  
Meteori tam mirabilis explicantur ab Vranie Musa. Deni-  
que, fidei Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ  
typum facit colûna, & nubes. Ita tenditur via in Sochot.

1 Israëlitæ post Ægyptias tenebras paulatim omnes  
conueniunt vndeque in Gessen, ad Ramessem, & conua-  
san<sup>t</sup> iam non inuitis Ægyptiis, initio veris.

2 Concione

*Libri IV. Argumentum.*    **I I I**

2 Concione frequenti docet Moyses populum, quid fieri oporteat, spemque liberationis ostendit in proximo. Tradit cæmonias paschalis victimæ.

3 Dies notatur, decimaquarta luna mensis Nisan, qui annum sacrum Hebræis deinceps aperit. Efficacitas sanguinis auerrunci aspersi postibus portarum, &c.

4 Modus coquendæ hostiæ, & epuli ritus.

5 Azymorum panum ritus & condimentum ex herbis acribus.

6 Commendatur spoliatio Ægyptiorum, petitis mutuò ad sacri pompam vasis ac vestibus, variaque supellectili.

7 Populus pronus in terram gratias agit. Moyses iubet effodi Iosephi ossa, ut asportentur, sintque parata ad exitum. Fingitur, quod probabile, datum negotium Elysamæ Principi Tribus Ephraim, & Iosuæ.

8 Mutuatio vasorum, & variæ supellectilis, cuius per speciem spoliati Ægyptij, & soluta aliqua ex parte Israëlitis tot annorum merces, & nonnulla facta compensatio.

9 Viri etiam arma commodata acceperunt, ad pompam sacrorum, si necesse foret: inclinat Deus ad beneficentiam Ægyptiorum animos, ut vel sic placabilem ipsum habeant.

10 Iosephi Patriarchæ ossa honorificè olim condita sepulcro nobilissimo; quanuis obſito posteā sentibus. Exploditur Rabbinica fabula de ouicula, effuso Nilo innante, & loquente voce humana, quæ sepulcrum Iosephi indicarit quærentibus. Hæc illi pecori ouis Ioseph, Psalm. 74. 2. In sacra Historia pauca admodum fano Poëtæ licent; ac tantum valdè probabilia, & quæ facili intellectu cum Historia congruant.

11 Acta illustria & virtutes eximias Iosephi in sepulcri marmoribus insculptas cognoscit Elysamas, & alij ingressi monumentum.

12 Reliquias venerantur, & condita ipsa castimonia, & virtutum vnguentis ossa; orantque, ut viæ comites esse

112 Libri IV. Argumentum,

esse velint, & in auita sepulcra, in Chananeidem redire.  
Eripitur Palladium Ægypto.

13 Luna decimaquarta ad vesperam paschalis agni  
immolatio, ritusque omnis, & pompa celebratur.

14 Sacræ coenæ initium, finita cœna communis, &  
post eliminatas reliquias omnes fermentati panis, azyma  
cum agno inferuntur procinctis omnibus.

15 Ritus solennes epuli, & mirabilis efficacitas via-  
ticæ illius dapis, quos det animis sensus, & alacritatem ad  
viam paratis.

16 Castigata torpens, & languida Christianorum fides  
vescentium verissimo Agno Christo in eucharistico epu-  
lo, quem illi tantum in typo edebant Synagogæ epulo-  
nes. In Eucharistia reipsa impletur prophetia, & manda-  
tum de toto edendo, vorato capite, & pedibus, cum in-  
testinis; & tamen non comminuto ullo ex ossibus. Diui-  
nitas hic tota cum humanitate, id est, caput, pedesque  
Agni Christi cum intestinis edulis manditur sine fractio-  
ne vlla; quod Synagogæ nunquam in typo illo cōcessum.

17 Mirabiles Moysis inter cæteros pietatis sensus.  
Conuiuis suis, & Principibus propheticè, animo exce-  
dens, enucleat allegoriam de epulo Ecclesiæ eucharistico.

18 Nox interim fatalis Ægypto media, Sap. 18. & An-  
gelus exterminator non simulatum Dei imperium cum sociis  
portans in medium exterminio deuotam terram: fortè  
fuit ipse S. Michaël.

19 Hora & signum cædis cum horrore somniorum  
per omnes domos, & vocibus terrificis, ut scirent omnes  
causam stragis.

20 Euigilantes vident veras suorum mortes obiectas  
in somnis: diri questus in Regem morientium ubique.

21 Moriuntur indignantes violenta morte eodem  
tempore omnes. Quid hic faciant Horoscopi, & vanitas  
nugantium tam ineptè circa natales horas?

22 Strages pecoris.

23 Ægyptia superstitione, & stupore; immo & malorum  
Dæmonum superbia coercita cæsis Deum monstris,  
disiectis

disiectis simulacris , comminutisque. Quò se vertant  
Ægyptij ? Ne ad Deos quidem.

24 Cædes primogeniti Pharaonis. Fingitur Achoris,  
regni spes , in thalamo Reginæ , ante oculos , intérque  
manus parentis vtriusque percussus , dicta ab Angelo  
causa.

25 Planctus omnium vbique , & seditio populi ; nisi  
statim dimittantur Hebræi. Fractus Pharaō centum sta-  
tim Satrapas , quorum Princeps Mamylas , ad Moysēm  
legat , qui orent , & cogant exire eadem hora.

26 Moyses interim suos ad exitum intentos dispone-  
bat ordinibus , & sub signa cogebat.

27 Accipit Legatos regios , & abeundi veniam sine  
conditione villa , cum omnibus.

28 Monet Ægyptios suas sibi illos accersisse clades.  
Caveat maximè Pharaō , ne pœnitentati dati Israëlitis com-  
meatus.

29 Crebrescente magis planctu vrgetur ad exitum.

30 Exitus , & ordo agminis per quinos ordines. Po-  
puli numerus & propagatio tam breui tempore , prope  
incredibilis. Quæ sic aluearia sobolescant ? Prima man-  
fio in Ramesse , vnde exeunt.

31 Nubis & columnæ ortus statim in exitu è Ramesse.

32 Quale illud fuerit Meteorum quadraginta annis,  
Vranie Musa explicat , indicatis causis. Nubes , & columnæ ,  
Fidei typus præferentis Ecclesiæ facem : haud extingui-  
bilem villa vi ventorum : officia illius columnæ varia.

33 Angelus personam Dei , noménque gerens in co-  
lumna habet sedem , eam mouet. Fidei qui ductus , quod  
robur ?

34 Fidei sedes , quæ firmamentum , columnáque ve-  
ritatis , fixa in S. Petri Apostolica petra. Desinet tantùm  
confecta via , aperto cœlo , introeuntibus in viuentium  
terram Sanctis.